



*oldest*

X 770

DISPUTATIO PHYSICA,  
DE  
**FULGURE**  
ET  
**TONITRU,**

Quam

ADJUNCTIS COROLLARIIS,  
DEO AUSPICE O. M.

SUB PRÆSIDIO

VIRI CELEBERRIMI

**JOHANNIS TILINGII,**  
MED. DOCT. & PROFESSORIS

Inque

PHILOSOPHIA THEORETICA,  
PRÆCEPTORIS SUI ÆTERNUM VENERANDI

publicè ventilandam proponit

JOHANNES HENRICUS SCHMUCKERUS,

COTHEN - ANHALTINUS,

Responsurus AUTOR.

Die Saturni **XVII.** Febr.  
In Auditorio maximo horis consuetis.

B R E M Ä,  
Typis HERMANNI BRAUERI, Illustris Gymna-  
si Typogr. 1703.

SERENISSIMO ATQUE CELSISIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,

**DOMINO  
EMANUELI  
LEBRECHT  
D.G. PRINCIPI ANHALTINO,**

DUCI  
SAXONIÆ, ANGRIÆ ET WESTPHALIÆ,  
COMITI ASCANIÆ,  
DOMINO BERNBURGI ET SERVESTÆ  
&c. &c. &c.



Domino suo atque Nutritio  
Clementissimo,

**PATRIÆ PATRI, PIO,  
FELICI, AUGUSTO.**

# SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME.

**A**ntiquissima Judæorum gens non tantum primam omnium fructuum, qui in agro nascuntur sibolem, solenni ritu D E O quondam exhibuit, sed alii quoque populi istam consuetudinem imitatis sunt, dum commentitio & ficto Numini easdem primitias consecrarunt. De latinis constat, quantum Cereri honorem præbuerint, ut non nisi oblato ei in gratæ mentis symbolum frumento novo, agrorum fructus gustarint. Cum autem SUMMI NUMINIS vices ii expleant in terris, quibus non sine divino nutu commendati atque concretiti fasces sunt, destinari His primos laborum fructus omnino decet. Quod ipsum dum commodè nunc recordor, non alibi, quam ad Tuos potissimum pedes, SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, præsentes studiorum meorum primitias humillimè deponere debui, maximè cum insignis TUA clementia atque Benignitas in Musas amplissimum subsidium lite-

A. 2

ra-

rarium munificentissimè in me nihil tale quicquam promeritum nuper contulerit; quo benignissimo favore si usque & usque frui mihi licet quam felicem me æstimarem? Accipe igitur, SERENISSIME PRINCEPS serenà fronte, quæ TIBI ab humillimo servulo debentur, nec aspernare hoc qualecunq; est devotæ TIBI mentis ac summissæ pietatis meæ signum. Ego certè, quod unicè possum, id sedulò dabo operam, ne Benignissimæ Voluntati TUÆ pietas mea atque industria unquam desit, sed omnibus viribus in id adnitar semper, ut cunctos studiorum meorum fructus, si qui olim esse poterunt, TIBI DOMINE CLEMENTISSIMÈ, in humillimi obsequii pignus consecrem. Divinum verò NUMEN TE SERENISSIME PRINCEPS, unà cum CELSISSIMA CONJUGE, ac ILLUSTRISSIMA utriusque sexus SOBOLE, quam diutissimè salvum atque sospitem servet, omnigenaque felicitate beat. Quod pia mente yovet,

SERENISSIME PRINCEPS  
DOMINE CLEMENTISSIME,  
CELSISSIMÆ SERENITATI TUÆ

*Devotissimus*  
Johannes Henricus Schmuckerus.




## THES. I.

**R**Utilantia FULGURA, & mugientia TONITRUA inter omnia meteora maximè miratur vulgus; utpote quæ hominum mentes meritò in stuporem, & impiorum animos ad suspiciendam in iis elucentem divinam potentiam vel invitatos rapiunt. Quorum genuinas causas ex naturalibus principiis pro exigui ingenii mei modulo præsenti disputacione paucis delineare conabor. Non autem omnes & singulas tam Veterum quam Recentiorum hac super re opiniones recensere, sed unicam tantum vulgo receptam ad æquam rationis lancem examinare, eaque maximam partem rejectâ (quod tamen pace tot magnorum Virorum, qui istam sententiam ab Illustri Authore cuius fama universum pervolat orbem prolatam, in hunc usque diem defendunt, fecero) probabiliorem in ejus locum substituere animum meum induxi. Faxit DEUS O. M. feli citer.

## Th. II.

Celeberrimus namque Mathematicus Ingéniosissimusque rerum naturalium scrutator Cartesius, cui multa in Philosophicis hodiernus mundus debet in Tract. de Meteor. cap. VII. §. V. ita de Tonitru differit: *Quod autem ad illas tempestates attinet, quæ tonitru, fulgure, turbinibus & fulmine comitatæ esse solent, quarumque nonnulla exempla in terra notare potui; non dubito, quin orientur ex eo, quod cum plures nubes tabulatorum instar une aliis super stræ.*

stratae sunt, interdum contingit, ut superiores magno impetu  
in inferiores dilabantur, ut si duabus nubibus A & B è nive



rara & maxime expensa  
compositis aer calidior circa  
superiorem A feratur quam  
circa inferiorem B, manife-  
stè liquet calorem hujus ae-  
ris illam PAULATIM  
condensare, ponderosorem-  
que reddere posse: Adeò ut  
ex ex ejus partibus quæ altissimæ sunt prime descendentes alias  
quæ ipsis in via occurunt, deturbent, & secum rapiant: at-  
que ita omnes simul magno fragore & sonitu iu nubem inferio-  
rem ruant. De FULGURE autem §. VIII. prius memo-  
rati Cap. Meteor. ita ratiocinatur: Si enim, inquit, magnus  
æstus & siccitas (tempestatem scilicet) præcesserit, atque ita  
hoc spatum (nubibus interceptum) exhalationes copiosas ma-  
xime subtile, & ad concipiendum flammam aptas contineat,  
superior nubes ferè tam subtilis esse nequit, nec tam lentè descen-  
dere, quin impulso aëre inter se & inferiorem medio fulgur  
aliquid elidat, i.e. flammam levem eodem momento enascentem,

### III.

Verum enimvero nunquam à me impetrare potui,  
ut crederem Superiores nubes tanto cum impetu cadere  
posse in inferiores, ut inde maximus iste produceretur  
fragor, quem vulgo vocant TONITRU. I. Eodem fe-  
rè modo nubem aëri ac navem mari innatare, nemo ibit  
inficias. Hæc etenim quemadmodum vel oneribus mer-  
cibusque variis nimis onusta, vel à nefario nauta merca-  
tores decipiendi gratia hinc inde studio perforata, ab ir-  
ruente aqua PAULATIM gravior redditæ sensim sen-  
sim.

simique fundum versus deprimitur, neque illum tanto impetu, tantaque velocitate, uno iectu ferit, ut impetuosus aliquis exinde sonus edatur: Ita etiam nubes superiores aeris calore PAULATIM (satente hoc ipso in allegatis supra Cartesio) condensatæ sicq; graviores redditæ PAULATIM etiam descendere coguntur: Minime autem gentium tanto fragore, ut allegatus Ill. Aut. affirmat, in inferiores ruere possunt. Simili planè modo quo libra suspensa in æquilibrio, cujus altera lanx vel arenâ, vel alio quopiam corpore, in quo successio locum invenit, sensim gravata pedetentim descendit, nec minimo excitato sono suppositam ex. gr. mensam ferit. II. Inferiores fluido aeri æque ac superiores innatantes nubes impetuosum istum superiorum prolapsum minime opperirentur, sed potius, ut res est in aprico, iis advenientibus propter nimiam aeris interclusi pressionem sensim cedere deberent. III. Nubes hæ inferiores vel laxæ vel duræ sunt concipiendæ. Si laxæ sunt, dilabentibus condensatis superioribus resistere minimè valent, sed multo magis dissipantur; Si verò duræ atque condensatæ, quid obstat, quo minus æque ac superiores descendant, & in capita nostra prolabantur, maximo vitæ cum periculo, præfertim si à superioribus propulsæ fuerint. Dicis, intermedium aerem impetuosum istiusmodi prolapsum impedire; respondeo idem iste impedit quoque ne superiores tanto cum impetu inferiores attingere possint. IV. Nullum corpus solidum fluido innatans, etiamsi PAULATIM solito efficiatur gravius, tanto cum impetu deorsum moveri potest, ut fundum validè quatiat; intermedium quippe fluidum descensum, utut initio impetuosum, sensim remoratur. Sic lignum aquæ impositum, maxima licet submergendo adhiheatur vis, celerrimo cum impetu fundum

dum non petit. Vidi, præteritâ æstate in Collegio Clariſſ. Dn. Præfidis curioso, Virunculum quendam vitreum intus cavum oblongo vitro aquâ ad orificium ferè impleto inclusum, pressâ vesicâ, qua os vitri erat obligatum. PAULATIM & PFDETENTIM, non autem tanta velocitate descendere, ut fundus vitri tanquam corpus durum sonitum inde edidisset. V. Dato non autem concessò, imaginarium istum nubium prolapsum esse possibilem, mille certè possunt concipi contactus modi, quibus aer intermedius placidum inveniret exitum, nec inferiorem nubem perrumpere opus haberet; unicus autem tantum daretur, quo aer nubibus interceptus ita possit comprimi, ut cum fragore expelleretur; si videlicet inferior nubes esset superiori vel æqualis vel major quoad magnitudinem; si justam haberet densitatem, ut superiori lapsum minanti posset resistere; si denique nubes tam superiores quam inferiores immediate circa margines prius & celerius quam circa medietates se contingerent, prout Cartesius §. VIII. Cap. VII. Meteor. lectoribus persuadere conatur; Ex quo insuper, & præsertim ex appositis figuris

Fig. I.



Fig. II.



ex Cartesio desumptis Sole meridiano clarius patet, illuminantes ram superiores quam inferiores quoad superficialem contactum non solum unius ejusdemque magnitudinis, ad minimum inferiorem semper majorem sed & superiore in

9

in superficie INTERIORI excavatam, inferiorem autem vel cavam vel totam planam concepisse. Quales autem conceptus de nubibus sine ulla ratione formantur; immo quamvis concedam illud quod Cartesius de magnitudine atque figura nubium supponere videtur, casu quandoque fieri posse, quis tamen eapropter crederet, unico isto præcisè modo, quem describit, nubes se semper contingere debere, quando tonat? Abstineamus igitur à nimia credulitate, cuius ope cerebri figmenta hominibus sæpiissimè obtruduntur; Memores aureæ Cartesii regulæ qua Principiorum suorum partem ultimam concludit; *Nihil*, inquit, *affirmo, nihilque ab ullo credi velim, nisi quod ipsi evidens* & *in vita ratio persuadebit.*

#### IV.

Nec denique probabile videtur, ab impetuoso superiorum nubium prolapso subtile, & ad flammam concipiendum aptas exhalationes nubibus interceptas incendi, talique modo produci FULGUR. Videmus enim (ut brevis sim) sæpiissimè sulphureas, quas procul dubio intelligit Cartesius, exhalationes nullis etiam nubibus in cœlo conspicuis incendi; ut appareat affatim omnibus ferè æstivis diebus in fulgetris vulgo wetterleuchten. Quoties insuper Ignes fatui, Trabes, Ignes pyramidales, Dracones volantes, Capræ saltantes, quæ totidem exhalationes incensæ sunt, aere nostro nubibus vacuo conspicuntur?

#### V.

Rejetâ itaque hac sententia rationibus nullis, nullisque argumentis suffultâ probabiliorum ipsius Cartesii Principiorum ope candidis & æquis rerum naturalium Æstimatoribus proponam. Quòd autem FULGURIS TONITRUSq; ortus melius distinctiusque intelligantur, pau-


ca quædam necessariò erunt præmittenda. Lippis tonsoribusque notum, aquosos æstate vapores, tam ex humida tellure, quam etiam ex ipso mari, in locis præsertim calidioribus, magnâ copiâ à Sole elevari, ex quibus in superiori aere condensatis nubes oriuntur. Testantur porrò præter rationem ipsi quoque sensus, nubes has non unam eandemque habere altitudinem, verum alias aliis esse superiores altioresque. Sciendum quoque nubes infimas esse nebulosas, superiores autem nivosas, illas à calore dissipari, has autem contra Paulatim condensari sive ponderosiores reddi, præsertim dum Solis radii in earum partes continuò impetum facientes eas constipant. Nubes CALORE condensari dico, nam licet calor multa corpora rarefaciat, superiores tamen nubes condensare debet, ut in *massa nivea*, quæ eâdem cum nubibus materiali constat, videre est, quæ si igni applicetur, aut in loco calido reponatur, in minorem magnitudinem comprimitur, decrescitque multum illius moles, priusquam aliquid aquæ exstillet, aut ejus pondus minuatur. Ponderosiores itaque PAULATIM hoc modo nubes redditæ, PAULATIM etiam ac PEDETENTIM descendant, inferioribusque propiores fiant, necesse est.

## VI.

Præter hos vapores aquosos nubes producentes, variæ diebus præsertim æstivis ex terrâ pingui extractæ continentur in aere exhalationes, salinæ scilicet nitrosæ atque sulphureæ, quæ mediante intestino particularum motu (præsertim quando ad angustias rediguntur) facillime incenduntur. Ad oculos hoc evidenter satis demonstravit olim experimento quodam Clariss. Dn. Præses, dum Phosphori chymici granum circiter angusto cylindro vitro indidit, vitrum in utraque extremitate præparatâ cerâ

II

cerâ exactè clausit, arreptoque dein calidis digitis vitro  
(ea sc. in parte ubi phosphorus hærebat) eundem per in-  
tervalla fulgurare jucundo spectaculo vidimus. Prouti  
ex apposita figura patet; ubi Lit. A. B. vitrei cylindri ex-



tremitates cerâ clausas, C. ipsum phosphorum, D. E. ful-  
gur quod per intervalla emittebat, commonstrant.

### VII.

Porrò salium imprimis nitrosorum rigidæ, ut & sul-  
phurearum exhalationum ramosæ particulæ in vehemen-  
tem ab igne motum raptæ sese expandunt, majusque spa-  
tium, unâ cum aere interstitiis earum inclusio, atque ab  
igne valde dilatato affectant; hoc dum non inveniunt,,  
carceris sui parietes ingenti cum fragore disrumpentes  
circumstantia corpora, ipsarum præsertim expansionem  
impedientia maximo cum impetu repellunt, hocque ipso  
sonum producunt: qui existit vel vehementior vel debi-  
lior, prouti ante nominatae particulæ aut majori aut mi-  
nor, eo in loco continentur copiâ, ipsumque spatium in  
quo incenduntur vel magis vel minus est clausum. Hæc  
si in dubium quis vocare velit, contempletur obsecro I.  
pulverem pyrium vel bombardis vel tormentis bellicis in-  
clusum, qui accensus ingentes globos ferreos magnam

B 2

ad

ad distantiam projicit. II. Nitrum tonitruans, ex nitro,  
fale tartari, & sulphure compositum, cuius aliquot grana  
nummo paululum incurvato, vel cochleari æneo aut ar-  
genteo indita horrendum accidente igne producunt so-  
num. III. In memoriam mihi revoco, exigua me vidisse  
vitra spiritu vini ad medietatem repleta, atque hermeticè  
sigillata, quæ cum igni imponerentur, maximo cum fra-  
gore diffilirent. IV. Quanto denique cum fragore atque  
tumultu, nec non ebullitione nitrum ab igne in motum  
raptum circumstantem repellat aerem, non latebit illum  
qui unquam nitrum crucibulo inditum injectis prunis ac-  
cendi vidit.

## VIII.

Hicce igitur (quæ necessariò erant præmittenda)  
præfloratis, ortum FULGURIS atque TONITRU ita  
explico: *Quando nubes superiores accidente calore PAULATIM condensantur, sensimque graviores reddituntur, etiam descendere, inferioribusque propiores fieri debent, unde spatium inter has & illas angustius redditur, præsertim si venti ex oppositis plagiis simul spirantes nubes in angustias compellant. Hinc interceptæ exhalationes ad angustias redactæ, valideque agitate subito accenduntur atque rarefunt, sicque cum inpetu vehementi nubes dispellentes ex iis erumpunt, & FULGUR atque TONITRU pariunt.*

## IX.

Sed objiciat mihi aliquis, molles nubes accensis atq;  
rarefactis exhalationibus tam vehementer resistere non  
posse, ut tantus inde producatur sonus; Verum enim ve-  
rò, quicunque ita ratiocinatur, sciat, inferiores nubes  
(quæ ex aquosis particulis nebulae in modum laxè tantum  
cohærentibus maximam partem componuntur,) molles  
quidem, superiores tamen ex nive & glacie constantes  
multò

multò firmiores dūrioresque esse. (Has autem nivosas & glaciales nubes præfertim intelligo, quando de tonitru loquor.) Imò quamvis nubium inferiorum materia adeò dura & constipata non existat, exhalationes tamen accensas QUODAMmodo impedire, ut vi atque impetu viam sibi parare opus habeant, noli dubites. Sic in fodinis carbonariis obserbare licet, bituminosum atque sulphureum halitum (si forte in accensam incidat faciem) magnum edere strepitum, quamvis ad durum corpus non allidat.

## X.

Duo hæc meteora licet uno eodemque ferè momento producantur, FULGUR tamen citius oculos perstrin git, quam auditur TONITRU. Rationem hujus rei si quis flagitet, illa, me etiam tacente, in promptu est: nam lumen in instanti propagatur, sonus autem non nisi successivè per vehiculum suum, quod principale aerem esse puto, ad aures nostras pervenit; necessum enim est, parte aeris unâ motâ, alteram moveri, & deinde alteram donec motus iste ad aures perveniat; quæ sane res successionem requirit, nec momento peragi potest. In vulgus notum est, cum quis ligna findit in Sylva, longius inde remotos videre jam elevatam securim ad ictum alterum priusquam sonus prioris ictus ad aures eorum pervenierit. Idem usū venit in explosionibus bombardarum, sclopotorum, tormentorumque bellicorum remotioribus, quod experimentorum genus, si otium modò foret, fuis explicare possemus. Hinc obiter ratio peti potest, cur, experienciâ teste, maximum tunc periculum nobis immineat, quando eodem ferè tempore quo fulgur vide mus tonitru quoque audimus. Hoc siquidem manifestissimum est indicium nubes simil cum exhalationibus toni-

tonitru istud producentes non procul à nobis esse remotas, sed capitibus nostris incumbere. Jam autem quò quid tempestati magis est propinquum, eò facilius damnum ab illa pati potest.

## XI.

Noli verò putas Tonitru semper uno eodemque terminari iētu, cùm plures è contrario producat sàpissimæ fragores. Quemadmodum etenim tormenti bellici à nobis remotioris explosio à duris corporibus (pràsertim si montes, aedificia, arbores, aliaqüe corpora ad reperciendum sonum idonea in viciniâ reperiantur) repercussa & reflexa aliquamdiū durat, ac reboantium tonitruorum stridorem imitatur; Eodem modo in sinu nubium accensis exhalationibus TONITRU per aliquod temporis intervallum auditur, nimirum quia exhalatio ista non prope nos, sed ad aliquam à nobis distantiam accenditur, unde vehemens quidam strepitus à nubibus, crassioreq; aere repercussus per multum tempus non sine sonorum VARIETATE audiri potest. Quid quod multis nubibus interceptæ exhalationes SUCCESSIVE incendi possint, ut eapropter mirum non sit, quod nubium, montium, aerisque diversis reflexionibus accendentibus aliquando primum stridor, dein murmur, tumultus, reboatus, & fragor SUCCESSIVE audiantur. Qui tamen Tonitru iētus non eodem modo omnibus in locis aures feriunt, quemadmodum nec in omnibus locis Echo observari potest,

## XII.

Quoniam autem fulgur partem nivis, ex qua constant nubes liquefacit, copiosa necessariò decidere debet pluvia, quam etiam istiusmodi tempestates semper comitari animadvertisimus, nisi FULGUR procul à loco, qui capitibus nostris correspondet, producatur. Qui abundans

dans nimbus tempestatem plerumque solvit: hoc enim modo nubes discutiuntur, quo facto exhalationes liberius exspatiantur, nec tam facile incenduntur, & quamvis inflammentur, horrendum tamen istum sonum producere non possunt. Ob eandem quoque causam impetuosus ventus ex unâ tantum cœli plagâ spirans tempestatî superveniens reboanti aeri silentium, cæteris paribus, impone-re solet.

## XIII.

Quoties vel nullæ vel raræ admodum in aere nostro existunt nubes, & nihilominus exhalationes ope intestini particularum motus à radiis solaribus valde aucti inflammantur, ab igne valde dilatatae dum liberius sese expandendi spatiū inveniunt, aeri tantam percussionem, quanta alias ad productionem soni est necessaria, conciliare non valent, unde *fulgur* quidem producitur, sed *tonitru* non auditur, quod vulgo *Wetterleuchten* appellant.

## XIV.

Sicuti verò *fulgur* saepius excitatur sine *tonitru*, sic quoque *tonantem Jovem* subinde audire possumus, quamvis *fulgur* à nobis non conspiciatur; tum scilicet, quando nubes, inter quas exhalatio incenditur, vel infra horizon-tem nostrum delitescunt, ita tamen, ut illi admodum sint vicinæ; vel quando supremam aeris regionem occupant, adeò ut inferiores nubes obstaculo sint, quo minus lux ad oculos nostros pervenire possit. Si enim nubes uti quotidiana docet experientia, Solis splendorem nobis eripunt, quæ ratio, cur non eadem micantia illa fulgura quæ in summa quandoque aeris regione excitantur, ab oculis nostris abarcere possint?

## XV.

Hæ tempestates, experientiâ teste, eminentibus quibusvis & excelsis locis damnum ut plurimum inferunt. Ad quod

quod explicandum non opus est, ut dicamus cum Cartesio: *Si nubes è latere debiscat* (vid. Fig. I. §. III. p. 8.) fulmen obliquo itinere libratum faciliter turrium fastigia, vel montium vertices tangere, quam loca humilia. *Si vero infra perrumptatur* (vid. Fig. II. §. III. p. 8.) loca edita & eminentia ob eorum resistantiam fulmine feriri. vid. *Traict. de Meteor. Cap. VII.* Sed simplex hic sufficit responsio: *Loca altiora fulmini esse propinquiora, unde majori impetu in ista fertur.* Certè quæcunque corpora tormento bellico sunt vicina, majus periculum subeunt, dum exploditur, quam quæ longè ab ipso sunt remota. *Procul igitur à Jove procul à fulmine.*

## XVI.

Credi vulgò solet, eadem loca, quæ semel fulmen percussit, idem facillimè rursus ferire, quod autem rationi non videtur consentaneum, nisi forsan de locis illud excelsis intelligere velis, propter causam antea jam dictam. Interim casu vel fortuitò fieri quandoque potest, ut una eademque domus vel una eademque arbor diversis, diverso tempore, vicibus fulmine concutiantur.

## XVII.

Quidam animadvertisentes durissima corpora plus possidere virium ad cæterorum percussionem, existimant præter fulgur & tonitru, quæ cum impetu è nubibus profiliunt, corpus insuper durissimum prodire, cui lapidis fulminei (vulgò Donnerkeil) nomen imponunt, cuius lapidis ceratiniæ nemo quod sciam ex veteribus ante Avicennam mentionem fecit. Scio equidem fictitious ejusmodi lapides, diversæ quamvis figuræ, colorisque diversi, à quibusdam inter rariora asservari, imo quosdam esse, qui ex humiditate ipsis adhærente futuram prædicere tempestatem sibi præsumunt; Verum à nemine haec tenus audi

divi, nec in ullo libro invenire potui, istiusmodi lapides  
in locis à fulmine percussis unquam repertos esse Dura  
quidem corpora ab aliis in motum rapta, quæ sibi resi-  
stunt, validius concutere lubens fateor, prouti in aqua  
glaciei frustis armata, ut & globulis à pulvere pyrio pro-  
pulsis ad oculum cernimus; Sed eapropter, ut ad ordi-  
narios fulminis effectus explicando ad durum confugia-  
mus corpus, neutiquam est necesse. Perpendamus quæ-  
so, quam incredibili ferè celeritate atque vehementiā pul-  
vis pyrius (cui lapidis nihil inest) in bombardo accensus,  
ut & mollissimus aer (omni soliditate destitutus) in sclo-  
peto pneumatico compressus vicina corpora concutiant  
atque convellant. Imd quid multis dispuo, de lapidis  
hujus effectu, dum merito adhuc dubitat, an in aere  
talis generari possit. Scribit quidem Cartesius Met. Cap.  
VII. §. X. *Fulmen interdum in lapidem durissimum omnia ob-  
via rumpentem & disjacentem con-verti potest, si penetrantibus  
his exhalationibus multæ aliæ pingues & sulphureæ immiscean-  
tur; præsertim si crassiores etiam sint, similes ei terræ, quæ in  
fundis vasorum, in quibus collecta est aqua pluvia, subsidit.*  
*Quemadmodum experientiâ discimus, si hujus terræ, nitri &  
sulphuris certas partes simul misceamus, misturamque istam  
incendamus, illam momento temporis in lapidem quendam con-  
crescere. Verumenimverò Cl. Dn. Præses mihi retulit,  
se aliquoties hoc experimentum instituisse, nunquam au-  
tem ex dicta terra, nitro, & sulphure, (mutatis quamvis  
diversis vicibus ingredientium dosibus) lapidem produ-  
cere potuisse. Quemadmodum & nuper me præsente  
idem experimentum irrito plane successu tentavit. Non  
igitur prius experientio isti fidem adhibere possum, an-  
tequam ocularis ejus spectator fuerim; qui enim facile  
credit, facile decipitur.*

Si Ceraunius istiusmodi lapis in rerum natura non datur, quid igitur est, dicet forsan aliquis, quod sacerdote istiusmodi tempestate turres & aedificia disrumpit? arbores prosternit? homines atque animantia bruta encat? domus, pauperum praesertim rusticorum tuguriola, atque casas saepius incendit? Verum enim verò impetuofissimus aeris motus ab incredibili inflammatae materiae velocitate profectus obvia quæque sternit, & renitentia concutit. Fieri quoque potest, ut aer instar turbinis vehementer agitatus arborem contorqueat, & cum arbor fixis stet radicibus, truncus saepè in longum scissus apparet. Ipsum denique fulgur ad terram usque perveniens aedificia incendere, animalia non solum quodammodo comburere, sed & respirationem ipsorum impediendo illa planè suffocare, atque interimere posse, quis dubabit? Honestus quidam Reipublicæ hujus civis, cuius aedes ante annum & dimidium in diversis locis fulmine mirum in modum sine ullo tamen incendio tactæ sunt, Clariss. Dn. Præsidi narravit, se globulum quendam cœruleum recens nati infantis caput magnitudine æquantem in aedium suarum limine è cœlo tum temporis delabi cum stupore vidisse, eundemque postquam ter quaterve subsultasset, cum horribili fragore, flamma atque fumo totum domum replente dissipasse, unde civis iste cum omnibus suis domesticis tamquam exanimis in terram prostratus est, paulo autem post ad se rediens, domum sulphureis & nitrosis halitibus plenam, fenestras hinc inde fractas, earumque plumbeum liquefactum, tecti tegulas disruptas imò murum multis in locis perforatum attonitus observavit. Idem quoque globus vicinis aedibus damnum intulit.

An fulmen crines quandoque ad cutem depascere possit, illæso capite? an vestes comburere intacto corpore? an ossa diffingere, nulla sensibili noxâ carni illatâ? an nummos liquefacere integro manente marsupio? an gladium frangere illæsa vaginâ? an inquam ejusmodi phænomena unquam observata sint, judicium meum labens suspendo? Interim si talia observata essent, minimè obstupecerem, nec mirarer illa tanquam miracula; Novi enim, quod exhalationum diversa sit natura, quod, quæ crines possunt adurere, non item aptæ statim sint, ut cutem etiam incendant. Novi quoque, quod corpora rigida in motu constituta mollibus corporibus parcant, & in dura solum actionem suam exerant; Sic aqua fortis intactâ cerâ metalla dissolvit. Novi denique quod fluida corpora vehementer mota resistentia sibi cum impetu disjiciant, reliquis, quæ cedere possunt, illæsis; Sic impetuosus ventus duras easque propterea resistentes quercus prosternit, nec arundinem facile diffingit. Quis autem crederet, fracto dolio vinum aliquando ictu fulminis incrustari aut etiam interdum conglaciari, id quod Seneca sequentibus innuit verbis: *Stat iutra dolium vinum nec ultra triduum rigor iste durat.*

Quod autem vinum, cerevisia, aliisque liquores fermentationis ope parati, turbari possint, & acescere, cum vehementius tonat, facilè credo. Quidam ab occulto quodam in aere fermento, quod consuetum partium insensibilium motum perturbare, & corrumpere dicunt, hoc phænomenum derivare volunt. Existimarem potius tremulum aeris motum à tonitru ipsi communicatum id efficere. Hujus namque ope liquorum fermentatorum

particulae in novum justo vehementiorem intestinum motum rapiuntur, quo fit ut oleosarum particularum rami abradantur, & una particula alteram mutuo attritus cotis ad instar exacuet. Quae scindentes particulae linguæ nervos molestè nimis deinceps vellicando acidum saporem pariunt. Nec aliâ arte ex vino, cerevisiâ, musto, pomis, pyris, aliisque fructibus ad fermentationem aptis acetum conficitur. Dictis fidem facit Illustris Boylei experimentum, qui cum vitrum cerevisia impletum hermetice sigillasset, illam post magna tonitrua nihil de via & sapore amississe testatur; cum tamen dolis conclusa penè omnis acerberet; quoniam tremulus aeris motus doliorum quidem rimas penetrare, vitrum autem subire non potuit. Rustici ut cerevisiam tempore tonitrua aliisque calidioribus diebus ab acescentiâ præservent, vivos cespites recens è terra evulsos doliorum operculis impnere solent, nec sine ratione, quamvis illam nesciant, hoc namque modo nimia aeris agitatio à cerevisia quadantis abaretur. Observarunt quoque cerevisiam majoribus receptaculis adhuc contentam quando tonat omnium citissime, quæ dolis apertis supra terram existentibus infusa est, tardius, omnium verò tardissime illam, quæ dolis in cellâ collocatis iisque clausis reconditur, acelcere; quæ omnia sententiam meam satis superq; confirmant.

## XXI.

Super est ut verbo attingam, cur hyeme rarius tonet quam aestate? quare item tempore vehementis aestus, diebus videlicet canicularibus, tonitrus sit frequentior? Id quod explicatu arduum non est: frigidis siquidem anni temporibus vapores & exhalationes tantâ copiâ in aere non reperiuntur, nubesq; adeò non condensantur, & descendunt, ut exhalationes in angustias propelli sicque incendi

cendi possint. Quid igitur mirum cessante causâ non produci effectum? Quando autem præcedenti æstate aer ab exhalationibus per frequentia fulgura atque fulgetra, satis non est purgatus, contingere etiam potest ut hyeme, aliisque anni temporibus *Fulgur & Tonitru* quandoque observentur. Quemadmodum hac in urbe *Anno 1656. die 4. Febr.* inter horam octavam & nonam matutinam altissima D. Petri turris fulmine incensa deflagravit. *Anno 1647. die 7. April:* inter horam duodecimam & primam vespertinam Ansgarianæ turris apex fulmine tacta est. *Die 5. Angusti* ejusdem anni densa turris prope ergastulum tum temporis sita simul cum aliquot pulveris pyrii tonnis fulgere accensa multis funesta fuit..

### T A N T U M.

### C O R O L L A R I A.

- I. **N**ullus præstantior Philosophandi modus est, quam omni hominum Autoritate posthabita RATIONEM ducem sequi.
- II. Ventum septentrionalem efficere posse, ut calor sublimiores nubes condenset atque descendere faciat & simul inferiores sursum protrudat, ut alias in se cadentes excipient, prouti Cartesius §. VI. Cap. VII. Met. lectoribus persuadere satagit, veritati consonum non videtur..
- III. Ventorum flatu exhalationes non incendi, sed dissipari potius debere, affirmo. Vid. Cart. Met. cap. VII. §. XV.
- IV. Potest interim quandoque circa terram tumultuare ventus, superiori aeris regione tranquilla existente.
- V. Nullum corpus absolute grave aut leve est.
- VI. Cometa non mortes Principum, nec bellum, nec pestilentiam aut annonæ caritatem præfagit.

VII.

VII. Vita hominis ab anima rationali non dependet.  
VIII. Omnis sensus tactu peragitur.

*Ad Nobilissimum atque Pereximum Disputationis hujus  
Autorem & Respondentem, Juvenem pium, modestum  
atque industrium*

## PRÆSES.

**F**ulguris & Tonitru canssas dum pandis, Amice,  
Pandis & ingenium (Gratulor ergo) tuum.

**I**ngressus cathedrae sit faustus, prospera dextris  
Quæ cupis alibus, cunctaque fausta fluant:  
Sat scio quid valeas, Tua sic solertia vincit,  
Et Tibi currenti prosperet Alma Trias.

A. H. Fabritius, Dantis Borussus,  
SS. Th. St. O. O.

**K**lappt nu dat Honnig woer im Ammer mit dem Döhr/  
Frit woer de arme Man vor Hering Läß un Stöhr/  
Stigt et den nu so hoog / dat Smucker will frakolen/  
Da he doch um den Mund nich mahl kan Hare föhlen.  
Wat wil de arme Trop / de Bloot van twintig Jahren/  
Schold de in sulker Tied woll hebben vehl erfahrn?  
He is wol näswies / dat averst kan nich baten/  
So sprak dat ole Wief ind'r olden Wieverstraten/  
Do mi de Musen-Knecht quam mit den schönen Klang/  
Entgegen als gesegt/im olden Wievergang/  
Vertellend mi nah Wunst van Smucker sien Dispute  
Dartusken sprack so fort dat ole Wief/de Schute.  
Gliek als wan Wetenschup im griesen Kinn man sitte/  
Da se biswelen wol ligt an der Moder Eitt.  
Is dit tovehl gesegt / so kan icj jow verklahren/  
Dat man se vaken findet in zweimahl seven Jahren/

Un

Un enige bartoh als Smucker dit betygt/  
 Wen he durch Wetenschup het an de Vulken stigt/  
 Un de Beschapenheit des Donners vor der Nesen  
 Uns mahlt begrieplick af / ey höret mahl poch kräsen/  
 Wo düsse junge Minsc vam Donner weet to schnacken/  
 De Wedderfechters oock vertwiefelt uhtoracken/  
 Dat se verstummen fast um sprackloos blieven stahn/  
 Ehm uht Verwund'rung/ als Muhlappen jaben an.  
 Intwisten leue Fründ/ wunsel ick jow fudder Tegen/  
 De Himmel stah jow by up allen jowen Wegen/  
 De Wiesheit fröhne jow up düsser Ehren-Baan/  
 Un nummer dat Geluck wunsel ick jow scheele an.  
 Up Platoytsk setzt dit to sienes Fründes Nohm  
**De Grecht' Arminius benaemt vom Esckenboont.**  
 Een Brehmer.

**D**E disput dien gy heft geschreven, geest te kennen,  
 Dat gy niet stille sit, myn Vrynd, maer braef doet rennen  
 In Wheetenschap en Konst van Donder en van Blix,  
 Daerover onder veel getwist wierd dagelicks.  
 Loopt dan maer verder voort als gy hebt aengevangen  
 In Studien en Deugd op dat gy moogt erlangen  
 Met Waeerheit en in Daet den Roem hoe langs hoe meer,  
 En uwen Vrynden zyn tot Vreugde en tot Eer.  
 Uyt liefde in dese Hollandische Tale opgeset  
 van eenen welmeenenden Vrynd

J. D. S. Coth-Anhalt:

**A**λμπερὴν ἐν τῷ νῦν σπεδὸν τε κέλον τὸ ἐπιτέλειον  
 Ὡ φίλε αἰτησάσως αὐτὶ ἔμοιστε γλυκύν.  
 Εἰπερ̄ θαυμασίως ἡδὲ ἐπιμελῶς διερευνῆς  
 Φαινομένων Φυσικῶν αἴτια ἡδὲ φύσιν.  
 Τόνδε ἀερός γῶν πίθεμα σπεδὸν ἐν πολῶν ἐπαύνεται  
 Ωσε σε ὅς σπεδειν πάντοτε, ἐν χέμενθος.  
 Καὶ γὰρ ὁ αἴτινας ΣΙΟΣ ἐκπονέοντι βοηθεῖ.  
 Ως τὸ πλέον Φανερὸν πατερίδι Τίν τε ἔσῃ.

Paucula hæc adjicere muneris causa  
 voluit debuitque

J. C. Lange, SS. Th. Stud.

vol/15=3

**H**Aud temerè jaetas artes didicisse probatas,  
 Quā Te nec titubans Dexteritate Tua  
 Privat momigenus, quin ad sublimia Cœli  
 Æqua laude vehat. Splendidè vestigiis  
 Consulto insitas, Tua quo præconia tandem  
 Fama plausibili conficiantur: Age!

Henricus Ludovicus Glöe,  
 Neoburgo-Anhaltinus.

**O**N trouve, mon Amy, beaucoup de Sentiments  
 De la tonnere; mais, je prie de le croire,  
 On n'a si clairement rendu l'entendement  
 Du foudre, comme vous pouvez ce jour le faire.  
 Mon Frere, en verité, je puis vous gratuler  
 Sans une flaterie, de ces entreprises  
 Je prie le tout Puissant Seigneur, de vous donner,  
 Une grande renomée, avec la barbe grise.

C'est ce que souhaite de tout  
 son cœur  
 Theodore Knaud, Estudiant  
 en Theolog.

**Σ**οι, Πατερίστε, Θρόνον, Θίλε, κεῖται αὐθ' ἀγαθάνευ;  
**Μ**εταποίειν τελὶ ὃν Φείρονται ήδη χέρσαι  
**Ο**φθαλήντος θοῆ γλυκερᾶ μέτρα i μερεύτω,  
**Τ**μητόν Σὺ πόνον, νεοεργῆ ὃν ἥνοχας ἐς Φᾶς,  
**Κ**άμβαλες ἄσπι, πόπον λαίβες αὐθ' ὅπινρε πόνηρον,  
**Κ**ἄνγη, συνερχομένων αἰνέμαν αἰς μικῆ ὁ βόμβος,  
**Η**δη ὑπ' ὅμισσον ἡς προσουλαχθεῖς ἀδει καὶ ἀδει,  
**Ρ**έξον γένι τὸ χ' ὅπι παρεδίξω ἔργον α' γῶνθ.  
**Ο**λβιστ., αὐδηδάη! πόδε πεζήμια καὶ αὐτὸς βούσει,  
**Σ**πίθεας αἱ καραστις λαΐθεια σκληροτερψίκηλα πεσουνοῖς.

τέττη ἐπικράτειαν εἰς

Erasmus Colerus, Dext. Anhalt;



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



X *Wolke*

DISPUTATIO PHYSICA,  
DE  
**FULGURE**  
ET  
**TONITRU,**

*Quam*

ADJUNCTIS COROLLARIIS,  
DEO AUSPICE O. M.

SUB PRÆSIDIO

VIRI CELEBERRIMI

**JOHANNIS TILINGII,**  
MED. DOCT. & PROFESSORIS

*Inque*

PHILOSOPHIA THEORETICA,  
PRÆCEPTORIS SUI ÆTERNUM VENERANDI.

*publicè ventilandam proponit*

JOHANNES HENRICUS SCHMUCKERUS,  
COTHEN - ANHALTINUS,  
*Responsurus AUTOR.*

*Die Saturni XVII. Febr.  
In Auditorio maximo horis confuetis.*

BR E M A,  
Typis HERMANNI BRAUERI, Illustris Gymna-  
si Typogr. 1703.